opr. nowa 7 IV 61

311311
I Mag. St. Dr.

Sk
31

ILLVSTRI & MAGNIFICO D.

DOMINO IOANNI ZOŁKIEWSKI DE ZOŁKIEW,

CHRVBIESOVIENSI, IAWOROVIENSI, KAŁVSIENSI, &c. CAPITANEO: PATRVO & MAECENATI OBSERVANDISSIMO,

felicissime in Patriam redeunti

GRATVLATIO.

A

GEORGIO BAŁABAN,

Lætitiæ & perpetuæ obseruantiæ ergo

DICATA.

CRACOVIÆ,
In Officina Typogr. Matthiæ Andreouiensis,
Anno D. 1622. M. Iul.

INSTEMMA

Illuſtris & Magnifici Domini,

I. Z.

D. Z.

CH I.



K. C.

P. M. O.

Æſtibus in mediis defixa Polonia ſudas,
Demittisq́ altum pondere preſſa caput:
Deme ſupercilio nubem, ſolamen habebis;
Gorgonis inſtar equi eſt vngula, fundet aquas.

Alexander Bałaban,

GRATVLATIO.

SI quo tempore ex grauiſsimis calamitatibus domi ac militiæ, funeſtius vulnus ſe accepiſſe patria ſenſit vniuerſa, Illuſtris & Magn. D. Capitanee, eo profectò: quo tuum parentem belli gloriâ Ducem inclytum amiſit; atq; ſuper te illius & virtutum & immortalium factorũ hæreditario imitatore, ab iniquâ fortunâ ſibi erepto indoluit. Nullam etenim adeò grandem procellam fore exiſtimauit, à quâ illo ſaluo & ſuperſtite, non ſibi certam polliceretur ſecuritatẽ: neq; ob viuendi ſpacia moriendi neceſsitate definita tantopere metuere ſibi potuit; vbi tu ætate integrâ, in defendendæ & cõſeruandæ ſtudium atq; dexteritatem ſuccedere dignus Patre filius potuiſti, qui in difficultatibus ſuperandis tyrocinio exacto in excelſum laudis paternæ apicem prouehi cæperas. Verùm diuinæ prouidentiæ

ſapiẽtia hæc nobis ſolatia ad certum tempus ſuſpenderat; cum tuarum rerum permiſsà citra ſpem noſtram conuerſione, præſentiam quoq; tuam nobis eriperet afflictiſſimis. Angebamur multùm dolore & fortunâ tuâ, non nos ſolùm quos vincula ſanguinis aut iura ſanctę neceſſitudinis colligarunt: ſed quoſcunq; illa infauſti rumoris fama de tuo caſu perculerat, pari animi affectu vicẽ tuã miſerabantur. Cũ enim cogitarent excelſam tuam generoſitatẽ, & in quas incideris ærumnas; iam ferè ad eadem vada ac ſyrtes ſe allidi arbitrabãtur. Sed paulò poſt vbi exoptata & ſperata certi nuntii vox aduenit, tuam illam animi excelſitatẽ, apud illum barbarum tantùm profeciſſe, vt ceu olim Annibal in fratris caſu, ita hic in tuâ aduerſitate inſignem fortitudinem recognoſceret: ac ideo indignum reputaret, te ad omnia præclara natum ac inſtitutũ, diutiùs apud ſe detineri: quis adeò patriæ ac ſui oblitus eſſe potuit, quin maximam animo conciperet lætitiam? quis vel inde non agnoſceret Numini ſupremo magnæ curæ eſſe Poloniam,

ſi tam

ſi tam ſingulari eius beneficio, viri Reipublicæ ſaluti vtiles & perneceſſarii, ab vltimo diſcrimine ſeruantur? Itaq; tantò iucundiori voluptate noſtra pectora recreantur, quantò ante grauiori mœroris telo ſaucii gemebamus. Nobiliſſimi quiq; elati lætitiæ magnitudine ſe continere nō poſſunt, quin Deo optimo gratiis perſolutis cōgratulationibus te præueniant, obuiis vlnis excipiant: vniuerſa multitudo, quaſi lætitię ſolenni indicto cum bonis cōprecationibus, hinc atque inde circumfluat: illę ipſæ vrbes Ruſſiæ ſuis quaſi motæ fundamentis, geſtientes tibi occurrere, & in tui amplexum ruere videntur. Si maiora his cogitatio ſuggerere poſſet, ea à nobis tibi iure meritiſſimo debētur; non modo patriæ cōmunione, conſanguinitatis iure, arctiſſimisq́ue amoris vinculis deuinctis: ſed quod maximum tuas excelſas altiſſimaſq́ue virtutes, vt domeſticæ gloriæ lumen admirantibus. Verſatur enim verſabiturq́; ſemper in oculis noſtris, tua præclarè acta ætas, bonis ſtudiis accōmodata: tuum ingens patriæ tutandæ ſtudium: genero-

 ſum

ſum in arduis aggrediendis pectus, inuictus in aduerſis tolerandis animus. Rara hęc ſunt in ęuo quoq; adultiore: tecum autem quaſi nata, ac tibi propria eſſe, non poſſunt diſſimulare illi, qui te ad bella pro patriâ ſuſcepta alacriter iuiſſe, in acie fortiter ſtetiſſe, in confertiſſimos hoſtes irruiſſe, ſtrenuè decertaſſe, nulli fortunæ ceſſiſſe, palàm conteſtantur, & cum ſtupore prædicant; nos verò qui audimus non poſſumus non vehementer cōcitari. Cum enim paternis & opibus benè conſtitutis fretus, & præſtantiſſimis in Rē-publicam meritis gloriâ immortali cumulatus, expeditam viuendi rationem cum dignitatum ſplendore pronam haberes: eam arripuiſti quæ ad conteſtandum in patriam amorem ſpectabilior, ad gloriam à parente acceptam propagandam màgis idonea, tuæ naturæ excelſæ conſentanea, & ſeræ poſteritati ad exemplum viſa eſt fore potentiſſima. Etenim ſtatim à primis pueritiæ annis, totum tempus quod cæteri ludis & iocis, quaſi eo fine à naturâ procreati, dare conſueuerunt: tu ingenio excolendo animoq; firmando

mando conſecraſti. Nam è domeſtica diſcipli-
nâ ad celeberrimam vniuerſi regni ſcholam A-
cademiam Cracouienſem, inde ad exteras na-
tiones eà maximè cogitatione perrexeras: vt
apprime neceſſariam prudentiam, quæ ex mul-
tarum rerum experientiâ oritur, ad vitam cum
dignitate agendã faciliùs aſſequereris. Cum ve-
rò prudẽtis animi ſit præterita ratione animoq́;
luſtrare, pręſentia rectè diſponere, futura præui-
dere: in id quoq́; toto ſtudiorum curſu inten-
tus fueras, vt maiorum annales in memoriam
reuocando præteritorum reminiſci: Rerùmpu-
blicarum formas, mores gentium, leges ad cõ-
munem ciuium conſuetudinem ſanctiſſimè la-
tas, ſpectabilem ciuitatum amplitudinem, o-
pera ædificiorum magnifica conſiderando; præ-
ſentia præclarè ordinare, futuris ſapienter pro-
ſpicere valeres. His igitur dotibus vbi genero-
ſiſſimam mentem inſtitutam animaduerteras,
reditum maturaſti; ac te patriæ deſideratiſſi-
mus, ætate venerandis parentibus ſuauiſſimus,
cum magnis ſolatijs exhibuiſti. Et ne multo la-

bore

bore comparata virtus, domeſticis parietibus incluſa lateret; mox in oculis principum Reipublicæ virorum verſari, eorum gratiam & fauorem præſtanti indole aucupari, mox ad honores & gloriæ faſtigium, ipſa naturâ ad id impellente, ſummâ contentione aſpirare cæpiſti. Et quemadmodum quæ naturâ ſuâ ſunt verè cæleſtia, aut præſtantiſſimæ alicuius virtutis, nequaquam in imo ſedem ſuam deponunt, donec per continuum motum, in debito naturæ domicilio conquieſcant: ita tu excelſo loco, illuſtriſſimis parentibus oriundus, non domeſticis voluptatibus, non periucundâ ampliſſimorum virorum amicitiâ, detineri poteras: quin in Regiæ Maieſtatis amplitudinem, propius accederes. Vbi ſingulari virtute, felici induſtriâ, pulcherrimis moribus, aulæ præfectis chariſſimus, in oculis Sereniſſimi Regis, adeò mirabilem tuæ virtutis ſpeciem depoſuiſti: vt breui tempore te Chrubieſouienſi Capitaneatu ornandum atq; illuſtrandum exiſtimauerit. In hoc præclaro virtutum curriculo progreſſus non pernicioſas

moras

moras traxisti: sed acri, forti, vehem toq; conatu per inculta vepribusq; obsita ad summam arcem gloriæ contendisti. Etenim facultatem ex beneficio optimi ac sapientissimi Regis nactus, eâ non ad inanem pompa[illegible] non ad vanam iactantiam, non ad aliorum [illegible]rorem aut inferiorum oppressionem, non ad voluptatum lenocinia comparanda es abusus: sed patriæ quam tunc impijssimorum prædonum rapacitas lacerabat, opem adferre fortissimis militibus selectis, è tuo ærario stipendia dando non desistebas: quo nomine prona hominum studia & faustas ac deuotas comprecationes tibi comparasti. Porro vbi belli signum datum est, tubæq; clangor personuisset, studij alacritate non à iuuenili illo cæco impetu, sed ab ingenti patriæ amore profectâ; etiam veteranos anteire pulchrum iudicasti. Grauè est tùm mœroris plenum à vitæ commoditatibus, à consuetudine amicorum, à consortio & vsù necessariorum, à complexu parentum auelli, tibi tamen ob amorem patriæ fuit exoptatum. Magni du-

[illegible] oblectationibusq́; domeſticis
[illegible] egrè ſitim, famem, frigorum vim &
as cæli iniurias, inuicto animo perpeti, no-
tes inſomnes tranſigere : ad hæc tamen ceu ad
magna vitæ ſolatia magno deſiderio properaſti.
In ſummo deniq; reponitur, tela & hoſtium im-
petus excipere, mortem ipſam truculentiſſimã
ab hoſtili gladio certò expectare : at tu ſicut
ſtrenuè cum hoſte conflixiſti, ita vulnera ne pa-
tria ſauciaretur, libens tuo corpore excepiſti.
Mox tribunus militum renunciatus, ſemper in
acie, ſub cælo frigido, in tentorijs circa arma
verſabaris : loricâ galeaq; armatus, in omnem
occaſionem intentus, in omnes partes circum-
ſpectus, adeò glorioſe oblatam prouinciam ad
miniſtraſti : vt quantumcunq́; plurimi vix vſu
quotidiano, & multorum temporum experien-
tiâ compararunt, totum id ſub ipſis militiæ i-
nitijs feliciſſimè fueris conſecutus. Non eſt ob-
ſcura ad Buſſam tua ſingularis virtus, quando
cum lectiſſimâ cohorte pro vitâ & libertate ci-
uium cum barbaro hoſte dimicandi ſtudio ar-

debas

debas, nec prius plenum irarum animum depo-
ſuiſti, donec recuperatorum operâ vtrinq; ho-
neſtiſſimis conditionibus pax ſtetit. Celebratur 6
celebrabiturq; illa excellentis animi magnitu-
tudo ad Orininum, quo Turcæ cum numeroſo
exercitu & auxiliaribus copijs confluxerunt.
Nam dum inſolenti Tartarorum accurſu no-
ſtrorum caſtra infeſtarentur, & ad reprimen-
dum hoſtilem impetum alij in dextro, in ſini-
ſtro alij latere conſtituti fuiſſent: tu præcipuè
in fronte ad omnes introitus armatos pectus
tuum oppoſuiſti: vt vel victor victoriam reliquis
adferres, vel telis obrutus, quantùm patriæ &
bono publico ſtuderes teſtareris. Iam verò in
hac ipsâ pugnâ recenti ad quam centum millia
potentiſſimorum hoſtium eo animo cónuene-
rant, vt vniuerſos noſtros milites, (quorum
manus vix quinq; millium legionem conſti-
tuebat) ſine dimicatione, ſinè cæde & ſan-
guine, in captiuitatem Conſtantinopolitanam
abducerent: quid inquam in illâ pugnâ diſtri-
ctus tuus gladius non agebat, quem hoſtium

 mucro

mucro me non petebat, quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi fuerat? An non tota acie impiger volitabas? an non vnde tuum turbari agmen animaduertiſti accurrebas, orando, hortando, obteſtando, auxilio, exemplo, virtute, ad reſtaurandum ſtrenuè certamen excitabas? an non licet ſaucius, hoſtem impetus tuos ferre non valentem ardentiſſimè premebas, ac gregatim fugere compellebas? Hic ex acie redeuntem, & hoſtili cruore diffluentem, vulnere propè lethali ſaucium, cum te veteranorum quiq; conſpexiſſent, tantamq́; fortitudinem ſuſpicientes quidem, at dolori quem generoſe premebas multùm condolerent: tu num eius ætatis more aliquod ſignum mæſtitiæ dediſti? num lachrymas emiſiſti? quinimo illis inſuetâ molliciè exprobrata, purpura oſtro ac omnibus quæ vulgus admiratur ſplendoribus, ſpeciem hanc ſibi eſſe cariorem palam es profeſſus. O vocem omni præconio digniſſimam. O verè magnam ac prope diuinam fortitudinem. O excellentem incomparabilem & nullo vnquam

æuo intermorituram magnanimitatem. Vicisti iam re & nomine Magnifice Capitanee omnes victorias, omnes triumphos fortissimorum patriæ defensorum, gloriosa trophæa longè anteisti: iam per hanc vnicam vocem apicem immortalitatis conscendisti: cum post gloriosissimè superatas mortes, post grauissimos ex suscepto vulnere cruciatus, non gloriam quæ solâ virtutis amplissimum est præmium, non arcus triumphales aut coronas, promeritæ fortitudinis monumenta: sed mortem ipsam quæ sola gloriâ immortali maior est, pro patriæ salute celsissimo animo depoposcisti. Et cum alij in felicitate numerent mori in patriâ, tu mori pro patriâ atq; illi animum & spiritum quem tibi, impertiuit cum fænorè quoddam reddere, longè nobilius & præclarius esse iudicasti. Hoc verò in te est spectabilius, quod tantæ in patriam pietatis & fortitudinis, cum cæteri foris emendicent exempla; tu domesticorum ac tuorum fretus, ad eam gloriæ amplitudinem peruenisti. Nam cùm fortunæ bona, illustrisq; rerum benè

 gesta-

gestarum gloria, optima virtutis hæreditas omni patrimonio prę∫tãtior, qua∫i per manus tibi e∫∫et tradita, vt ad omne decus & hone∫tatem natus, bonis di∫ciplinis probè in∫titutus, maiorum dexteritate propagatum nomen, præclaris facinoribus amplificares: in ip∫o iuuentutis flore hac tuæ virtutis præ∫tantiâ ceu ∫igno clari∫∫imo demon∫tra∫ti. Etenim quis adeò rerum imperitus, ge∫torumq; patriæ expers e∫t, cui non ∫it in aperto, maiores ad quos prima refers initia, omni virtutis atq; laudis genere ita con∫ummatos fui∫∫e: vt nullus in illis vel quod ad ∫peciem pulchrum, vel ad hone∫tatem præclarum, vel ad commendationẽ & gloriæ immortalitatem comparandam ∫tabile reperiatur, de∫iderare po∫∫it? Spectare in eorum numero licuit ardentes religionis defen∫ores, amanti∫∫imos ciues patriæ, acerrimos legum cu∫todes, forti∫∫imos pacis & communis tranquillitatis con∫eruatores, ∫trenuos libertatis vindices: de quorum gloriâ omni æuo dicendi habebunt illi materiam ampli∫∫imam, qui naturâ & longâ

exercita-

exercitatione ad dicendum instructissimi accedunt, & ob eloquentiæ laudem celebres habentur. Quanquam adeò excelsarum virtutū ornamentorum, atq; auitæ gloriæ compendium, summorum Reipublicæ honorum decus illustre, in tuo clarissimo parente nos non sine ingenti admiratione vidimus; posteritas autem stupore defixa venerabitur, ac illius vitæ singulas ætates, ætatumq́; studia, suis ad imitandum proponet. Qui è literarum ludo in militiæ disciplinam profectus, in extremâ pueritià fuit miles: tantaq; tyro virtutis & fortitudinis edidit specimina, vt iuuenis legionum ductor, breui militibus expetentibus & ardentius adnitentibus tribunis, campestris vt nostri vocant Regni exercituum DVX fuerit renunciatus. In quâ quidem dignitate quæ quantaq; gesserit, quod ingenij acumen cogitando, quæ dicendi vis aut dicendi copia recensendo, cōsequi posset? Non enim modo nostræ ætatis hominum gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam, bellicæ laudis celebritate videtur superasse is, in cuius ani-

mo &

mo & optimi ciuis & summi imperatoris virtutes aliquando conquieuisse debuerant. Quis enim nescit in togâ quàm solicitè sua consilia in bonum commune contulerit, patriæq; saluti ac necessitatibus prospexerit? Hoc tamen laudis genus commune cum plurimis habuit. Porro illa domesticæ seditionis tempestate exortâ, vbi Reipublicæ membra inuicem & à capite diuelli cæperant, quis promptiora ac vtiliora pacis consilia subministrauit? quis diligentius & fidelius pro Regiæ maiestatis conseruandâ integritate laborauit? quis tumultuantium ardori fortius obstitit? quis animis mitigatis exoptatã patriæ tranquillitatem reduxit? Testis est illa per multorum ora peruagata vox, quæ nedum conticuit, tui parentis superuentu illa dissidij molimina intrãsuersum abijsse: eo duce renascentia dissipata fuisse: eoq; patrono illa cogitata, cæptorum iniquitatem pœnitentiâ redarguente, veniam apud Clementissimum principem inuenisse. Sed qui in bello ciuili tantùm ac talem sese præstitit, quâ prudentiâ, quâ facilitate,

& feli-

& felicitâte, extrema illaq; ardua obierit, quis adèo obtuſam intelligendi aciem gerit, quin ex eo iam perſpiciat; cùm ciuium ſeditiones, quẽadmodum omni hoſtili incurſione ſunt periculoſiores: ita difficillimè ſedantur, ac rariſſimè exitum partium, alteri optatum, alteri ſalubrem, afferre conſueuerunt? Et profectò qui bellorum, & antecedentium & ſubſequentium multitudinem recordatione perluſtrauerit, ac magnitudinem ſecum reputauerit; facilè in cogitationem veniet, hanc tui parentis virtutem Poloniæ, tempore admòdum opportuno Diuinitus datam fuiſſe. Polonia enim quando armis hoſtilibus frequentiùs laceſſita, atq; fortiùs eſt oppreſſa; quando vehementioribus impreſſionibus eſt impetita; quando inſtabiliorem fæderum hoſtilium fidem eſt experta; quàm tuo parente bellicæ adminiſtrationis ſummo proximum munus obeunte? Taceo illam ſummè periculoſam ad Byczynam pugnam, quâ Poloni ob inaugurandum principem diuiſi, externâ potentiâ freti, ſignis infeſtis acerrimè decerta-

runt : ille primus in confertissimos cuneos ac mediam belli noui flammam irruendo, vulnere grauissimo accepto, nouo Regi fidem commendauit; legionibusq; cataphractorum ad internecionem deletis, campum illum immortalitate consecrauit. Mitto ego bellum Liuonicũ præter omnia diuina humanaq; cura intentatum; & quò minùs speratum, eò & illi prouinciæ exitiosius, & nostris molestius : in quo tui parentis fortitudinem cum fortunam magnus ZAMOSCIVS admiratus, in legionum concione, præclaro dignàtus est elogio. Neq; libet cõmemorare illius archiprædonis NALEWAYCI in patriæ viscera sæuiendi ausus insolentissimos: quos ille latiùs iam grassantes magna animi & consilij dexteritate repressit, ac postea breui oppressit. Transeo reliqua bella adeò felicissimè acta & perfecta, quæ tui parentis rei militaris scientiam raram, virtutem excellentem, in speculum sunt accepturi illustres exterorum duces. Illud illud omni æuo memorabilẽ MOSCHOVITICVM bellum nequaquam præterire possum;

ſum; in quô cum potentiſſimo hoſte, manu paruâ leuiq́, apparatu inſtructâ congreſſus, inſignem victoriam reportauit: ac ampliſſimos ducatus, celeberrimas toto orbe prouincias, vrbes egregias, ipſam inſuper ſedem imperij occupauit: & quod iure meritiſſimo ſera admirabitur poſteritas, BASILIVM SVSCIVM Magnum DVCEM MOSCHOVIÆ, cum fratribus DEMETRIO & IOANNE exercituum præfecto, cepit, captos in vincula coniecit, vinctos Sereniſſimo Regi SIGISMVNDO TERTIO in illo vniuerſorum ordinũ Regni, Senatúsq́; ampliſſimi concilio, glorioſiſſimè præſentauit. O victoriám glorioſam, omnium gentium literis atq́; linguis prędicandam. O factum egregium, & poſt conditam Poloniam adhuc inauditum. Vincebãt MAGNE ZOŁKIEWI (te enim iam apello & alloquor vbi vbi es:) vincebant inquã tui anteceſſores gentes immanitate barbaras, locis infinitas, variarum copiarum genere abundantes: fregerunt, proſtrauerunt, ac longo captiuorum ordine ſpectabiles, prædâ hoſtili onuſti tri-

 umpha-

umphârunt: at imperijs frenos inijcere, toto orbe celeberrimos imperatores ferro & carceribus coërcere, contumacissimæ genti leges præscribere, tibi tanquam proprium reliquerunt: totum hoc, quantumcunq; est, quod certè est maximum, totum inquam, tuæ clarissimæ virtuti reseruârunt. Quòd si inuidia pro suo more huic gloriæ splendori nubem obducere, & hæc immortalia facinora extenuare satagat: vos vos iam ego MOSCHORVM agri vosq; hostiles manus appello, quæ admirandam eo bello nostri DVCIS vidistis fortitudinem; vos fortissimi Tribuni, centuriones, atq; milites testor: an non summam rei militaris scientiam, magnum ac promptum ex re consilium, in illo difficillimo conflictu experti estis; cum hostium multitudo cataphracta vestrâ paucitate conspectâ, quasi certâ victoriâ triumphans, ac prædam manibus opimam tenens; alia deleta, alia herbā porrigens, supplex vitam ægrè impetrauit? Vos vltimæ MOSCHORVM oræ imploro, quæ sæpè audito tanti DVCIS nomine,

subitâ

ſubitâ formidine trepidâſtis, illudq́; aſſiduò deprecatæ eſtis, ne potentiſſimus IMPERATOR cuius maximè arma perhorreſcebatis, in veſtra mænia ac tecta irrueret: ne rebus veſtris peſtem, vitæ ac ſaluti exitium, afflictiſſimo imperio ruinam, atq; labem inferret perpetuam. Non prius tamen votorum compotes factæ fuiſtis, donec vi & fortunâ IMPERATORIS compulſæ, de ſuſcipiẽdo principe WLADISLAO IN MAGNVM DVCEM MOSCHOVIÆ, fidem iuramento firmatam præſtitetis. Hunc tantum imperiorum domitorem, tantum tamq́; felicem ſummi belli moderatorem, ſapientiſſimus REX SIGISMVNDVS TERTIVS, pro eo quo in cognoſcendis hominum naturis pollet iudicio, & in remunerãdis benè meritis ciuibus æquitate; & CANCELLARIATV Regni, & belli vbiuis gerendi, SVPREMA AVTHORITATE illâq; perpetuâ exornandũ cenſuit. In adeò altâ ſaluti communi proſpiciendæ ſpeculâ conſtitutus, tãtamq́; defendendæ patriæ facultatem nactus, præcipuè ad Turcici belli procellam, à quâ maximum

 pericu-

periculum timebatur auertendam, omni curâ atq; ſolicitudine conuerſus;perfidos hoſtes omni copiarum genere numeroſiores, ad honeſtiſſimas pacis conditiones, ſemel atq; iterum adegit : ac tandem maturè ingruentem vim hoſtium, ſacramenti fæderum oblitam, præſidijs quæ interim habere potuit, magno animo dum repellere contendit: multis fugatis, plurimis cęſis,tandem par Epaminondæ,non armis hoſtilibus ſed ſuorum diſſenſionibus ſuperatus ; pro patriâ & vniuerſorum ciuium ſalute, victor glorioſiſſimus mortem oppetijt. Adeò fortiſſimi Parentis tu filius, tanti in patriam animi, non ſpectator modò, ſed etiam æmulus, periculi quoq; fidus comes fuiſti : parentis inquam in medios hoſtes ruentis animoſè veſtigia preſſiſti. Ille quidem vitæ occidenti pro immortali ac florentiſſimâ gloriâ commutandæ optionē accepit : tu verò ad paterna cogitata in bonum patriæ aliquando proſequenda atq; conſummanda ab illâ dimicationis nece reſeruatus in manus hoſtiles veniſti. Quantùm hîc & parentis qui-

tis quidem morte, ſed maximè patriæ orbitate indolueris; ceu quidam pictor, parentis filiorũ necem intuentis, dolorem non valens effingere, velamine faciei impoſito contexit: ita mihi tua illa mæroris magnitudo, ſilẽtio inuoluta, animis cogitanda meliùs, quam à me poſſit exprimi eſt relinquenda. Verùm vbi accepiſti, à Turcâ poſt illam magnam expeditionem, pro quâ POLONIAM in lucrum ſibi pollicebatur, pacis conditiones oblatas: ſpe meliori de patriâ conceptâ, cæteros conciues fortunæ eiuſdem tibi ſocios bono animo eſſe iuſſiſti; & ad grauioris ſeruitutis genus, pro patriæ ſalute ferendum, paratum te eſſe palam dictitaſti. O verè inuictum in rebus aduerſis tolerandis animum. O factum præclarum, inuſitatum, & ad imitandum arduum, eâ potiſſimum ætate, quæ otio & deſidiâ à virtute auocatur, impuris flagitijs contaminatur, blanditijs & voluptatibus à perferendis vitę laboribus retardatur. Magnum profectò gradum Generoſe ZOLKIEVI ad immortalitatẽ tam præclaris auſis feciſti, nec veterum tantùm

æmula-

æmulatus es pietatem: verùmetiam iuuentuti Polonę, atq́; adeò vniuersis ciuibus, signum quoddam cęleste, & valde Reipublicę salutare, ad amandam & defendendam patriam reliquisti. Quare si vel hac vnicâ virtute viuunt illi viuentq́; semper Mutij, quorum fama atq́; immortalis gloria per vniuersas mundi partes celebratur: si florent Decij, qui suis vulneribus & extremo spiritu hostię pro Republicâ facti, desperatã incolumitatem eidem restituerunt: si celebrãtur Codri Athenienses, Trasibuli, & innumerabiles cæteri; qui ne communis ciuium salus detrimentum pateretur, victores gloriosam mortem oppetiêre: vigebit quoq; hoc tuum adeò plenum conseruandæ patriæ studium; ac illud posteritas alet, ipsa æternitas omni æuo tuebitur, omnis ordo atq́; omnis natio decantabit. Et cùm te fortunatum alij dicant, quòd omni genere laudis excellentes tuos maiores habueris, quòd adeò illustri Parente natus fueris: iam ego te vel eo nomine felicissimum appellabo; quòd non modò à præstanti parente non degeneraueris;

neraueris : ſed etiam tantâ animi generoſitate adhuc adoleſcens non modò imitari, ſed adæquare omni ſtudio contendas. Quibus quidem de cauſis quantam afflictiſſima patria, quantã omnes ciues de te ſpem cõcipiant, vel hinc perſpicere poteris; quòd qui ante pro tuâ ſalute vota fundebant, de tuâ ſalute multùm ſoliciti fuerant : ij conſternatis atq; fractis animis ad lætitiam erectis, te cum gaudio excipiunt, in cælum laudibus extollunt, complectuntur, admirantur, fauſta atq; felicia omina comprecantur; atq; tui videndi ſtudio incredibili accenſi à longinquò etiam accurrunt. Sed cùm his omnibus gratiſſimus aduenias, tùm nobis præcipuè, quibus nè vita quidem iucunda te extincto eſſe potuit. Nam vbi parentem noſtrum ſuauiſſimum, pro more antiquo, ad Cetſoram ſtrenui militis & ducis obeuntem officium, in acie lethaliter ſaucium, & præſidijs curationis orbum, in ſeruitute Scythicâ iam de vitâ periclitari fama percrebuiſſet, à tanto ſolatio iam quaſi deſtituti, atq; pupilli; te Magnifice Capitanee &

Mæcenas noſter Inclyte, quem adhuc penè diuino beneficio ſuperſtitem ſenſimus, in tantis ærumnis tanquam aſylum cogitabamus: te in tantis tempeſtatibus Caſtorem & Pollucem expectabamus: tuum quamdiu à nobis abeſſes, vel leuiſſimum caſum grauiſſimè pertimeſcebamus. Certum enim atq; indubitatum habemus, quòd cum ex ſingulari quadam naturæ bonitate, non modò publicis, ſed etiam priuatorum vtilitatibus ſtudere ſoleas; res etiam noſtras tibi perinde curæ eſſe, atq; tuo parenti prudentiſſimo Regni Cancellario, & imperatori longè preſtantiſſimo ſemper fuêre. Quare gaude tuo tam excellenti bono, & fruere fortunæ tantoperè tibi fauentis proſperitate: quòd ex grauiſſimis periculis, & extremis diſcriminibus, in portum patriæ ſecuriſſimum, ex moleſtiſſimâ ſeruitute, in iucundiſſimam libertatem, à præmaturâ quaſi morte, in optiſſimam lucem redieris. Gaude quòd in fæliciſſimo tuo in patriam reditu omnium ætatum côncurſus fauſtis acclamationibus perſonent: quòd redundantem

dantem & foras erumpere gestientem lætitiam etiam indicijs exterioribus, & Magnificis apparatibus testentur: quòd tandem sepultâ inuidiâ te Magni illius imperatoris filium, tanquam parentem ob æterna illius in Rempublicam merita, in filio honoraturi, omnes ciues suspiciunt: te vnum tanquam firmissimum & solidissimum afflicti imperij propugnaculum intueantur: quòd propter te saluum & sospitem reductum, piè ac reuerenter cælesti numini gratias persoluant. Atq; illa ex vulnere accepto doloris asperitas, tanta laborum, & angustiarum moles pro patriâ superata, iucundam animo tuo reducat cum voluptate memoriam: quoties autem in publicũ processeris, cum Sertorio gaude; quòd cum cæteri triumphatores, sua spolia bellica domi relinquant: tu ad omnem congressum, ad quemlibet virorum fortissimorum conuentum, omni loco & tempore tecum tua paratissima habeas. Multa iam fateor præter ætatem pro publicâ salute egisti, anxias solicitudines & grauissimas ærumnas tolerâsti: tamẽ quocunq;

adhuc oculorum aciem intenderis, quidquid
ad agendum propoſueris, ampliſſimum tuarum
actionum campum reperies. Nouis enim quo-
tidie malis in patriâ pullulantibus, noua quoq́;
ſunt ſubminiſtranda præſidia. Quæ cum à te
more clariſſimi parentis, qui ne vitam quidem
pro vitâ ciuium impigrè effudit, prȩſtita fuerint:
eadem gloria quæ ob tuorum meritorum ſpe-
ctatiſſima monimēta iam vbiq; floret, in perfe-
ctiſſimam maturitatem adoleſcet; teq; pro
tuis in Rēpublicam meritis vniuerſa po-
ſteritas imitandum ſuſcipiet.

d
m
o-
l;
e
n
:
-
-